



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXIV. Hetto Theidgavdvs. XXXVIII. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

donâ transtulit, quò & brachium S. Goaris perlatum est. Tumulo Hettonem illatum esse anno 850. post annos circiter 18. plurimum Scriptorum est opinio.

LXIV. HETTO THEIDGAVDVS,

XXXVIII. ARCH.

Hetto Theidgaudus Hettonis nepos, & in monasterio Mediolacensi Abbas Successor, æmulari in rebus omnibus vel patrum, vel avunculum suum est creditus, ut neminem ipso Trevirensium mitrâ digniorem censerent legitimi electores. Verùm spei non respondit optatus rerum eventus: ipsa enim non multò post urbs princeps magnis tempestatibus concussa, & ostentis territa, majorum malorum sensit esse præludia. Ecclesiæ tunc vim inferebant partim domestici, partim externi hostes maximam; unde Synodus Episcoporum Confluentiæ, absente Theidgaudo Archiepiscopo, in templo S. Castoris est habitata an. 860. ubi in præsentia Lotharii, Ludovici & Caroli Regum de Ecclesiasticorum defensione constitutum fuit, ut more à majoribus tradito, starent. Nihilominus eodem anno Theidgaudus cum Præposito aliisque Clericis à seditiosis civibus, & mixtis prædonibus captus, atque ad edendum jusjurandum libertatis recuperandæ spe adactus, obligatione sua gravi metu extorta, Pontificis Nicolai I. autoritate est solutus. At inde Lotharius Rex in repudio Theutbertæ conjugis, Walrada pellice substituta, Theidgaudum unà cum aliis Episcopis transversum egit. Haud profuit monuisse severissimè, ut Lotharii partes Archipræsul relinqueret: quare ab Hadriano II. Pontifice confixus anathemate, in Italia miserè periit an. 869. Interea in Theidgaudi cathedra sedisse monstruosum canem ferunt.